



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Præcedentis Libri XII. Additamentum. In quo de statu naturæ, quam
puram vocant, disquiritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

PRÆCEDENTIS LIBRI XII. ADDITAMENTUM.

In quo de statu naturæ, quam puram vocant, disquiritur.

De statu na-
turæ puræ.



ON sine causa, ubi dissertando de variis Theologicæ doctrinæ capitibus incidit disputatio mea in dubia quædam, quæ circa statum hominis in nulla supernaturali gratia, atque in nullo peccato constituti versantur, abstinui à sententia dicenda, ne magnam hinc Doctorum multitudinem irritarem, inde vero sodalitatē nostrī scriptores mihi facerem adversarios. Novam enim tanquam Baji, & Jansenii gregales illos passim traduci, qui statum naturæ, quam puram vocitant, repugnare arbitrantur; & ex adverso haberi à plurimis Augustini disertiores, qui possibilem adstruunt. Proferre autem sententiam, quasi temere aleam jacere nolui, ratus me lectori operam haud

inutilem locaturum, si dubia ipsa juxta utramque opinionem dissolverem. Jam vero ne surda atre utriusque argumentationes præteream, in hac quæstione me continebo aliquantulum, illamque rationem suspendendi judicium, cur hætenus servaverim, demonstrabo, ita tamen, ut à nostratibus dispellam errorum damnatorum nubeculas, & modestè aperiam quid possit à nobis majori probabilitate defendi. Illud tantum præmittendum est eam appellari à Theologis *naturam puram*, in qua præter naturales proprietates nihil ei superadditum esset, nullum videlicet supernaturalis gratiæ beneficium, nullumque vitium; haberet tamen illa naturales defectus, qui ex animæ aut corporis constitutione proficiscuntur, & esset obnoxia fami, siti, morti, & languoribus ex pugna elementorum exorituris.

C A P U T I.

Doctorum, qui statum puræ naturæ censent esse possibilem
argumentationes præcipuæ.

S U M M A R I U M.

à Primo usque ad 15. seu ultimum propugnatur, statum puræ naturæ esse possibilem.

I.
Probatur à
Doctoribus
status natu-
ræ puræ.

ITAQUE status puræ naturæ possibilitatem Theologi hinc argumentis stabilire nituntur. Romani Pontifices Pius V. an. 1567. & Gregorius XIII. anno 1579. damnarunt constitutionibus suis sequentis Michaelis Baji Decani Academiæ Lovaniensis propositiones: *Integritas primæ creationis non fuit in debita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio: Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis*

nunc nascitur: Immortalitas primæ hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio: Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia originali: quæ sunt inter alias ab Apostolica Sede proscriptas ordine vicesima sexta, quinquagesima quinta, septuagesima octava, & nona. In quibus apertissime eorum sententia reprobat, qui naturæ puræ impossibilitatem defendunt.

Xxx

Ne

Nequit ergo salva fide ac religione opinio hæc sustineri.

2.
Dicunt aliqui Baji propositiones non esse absolute hæreticas.

Huic argumento respondent contrariæ sententiæ patroni, Baji propositiones non esse omnes absolute hæreticas, sed alias propter acre in aliorum opiniones iudicium & nimiam in vellicandis Doctorum sententiis arrogantiam, alias vero respectivæ, & in sensu ab assertoribus intento fuisse damnatas. Quod Gabriel Vasquez in 1. 2. disp. 109. cap. 18. probat ex verbis, quæ recensitis propositionibus Baji in Bulla Romani Pontificis subjunguntur: *Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo modo sustineri possent, in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivæ, & quæcumque super iis verbo, scriptoque emissæ præsentium auctoritate damnamus.* Ex qua damnatione, addit Vasquesius, non satis apparet, qualis unicuique propositioni censura sigillatim conveniat; nec prædictis propositionibus omnibus illas notas & censuras simul, sed singulatim convenire, hoc est singulas singulis tribuendas esse, ex prædictis verbis aperte constat. Nec poterat Vasquesius rem ignorare, qui de articulis Bajanis sermonem frequenter habuerat cum Francisco Cardinali Toletto, qui in hac causa Lovanium fuerat delegatus. Hæc non solum Theologi nostri confirmant, Cardinalis Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 2. Fulgentius Bellelli lib. 3. cap. 27. La-fosse tom. 3. q. 1. §. 11. & alii, verum etiam Vincentius Contensonus Thomista doctissimus tom. 1. lib. viii. dissert. 1. cap. 1. §. 1. celeberrimus Estius in 2. dist. 25. §. 6. qui laudat etiam declarationem Facultatis Theologicæ Lovanien-sis, Natalis Alex. in Historia Eccl. tom. viii. cap. 2. art. 14. alique promodum innumerari.

3.
Propositio vicesima sexta merito fuit damnata.

Quibus præmissis respondent propositionem illam vicesimam sextam merito esse damnatam, quoniam integritas primi hominis complectitur gratiam, quæ hominem rectum & iustum constituit; quam certissimum est non esse naturalem conditionem, sed Dei beneficium. Id vero manifestum est, inquit Estius, ex articulo vicesimo primo præcedenti, atque ex doctrina Auctoris in eo capite unde propositio transcripta est. Et Gonet alteram propositionem ita recitat:

Deus non potuisset creare hominem, qualis nunc nascitur, id est destitutum iustitiæ originali, & gratia sanctificante. Itaque comparate ad hunc capitalem errorem Baji, memorati articuli damnati sunt. Falsi sunt etiam, propterea quod Bajus naturæ rationalis integritatem, iustitiam, & partis inferioris subjectionem, naturæ proprietatem, non gratiæ beneficium commentus est, & naturam puram non impossibilem esse, sed actu à Deo conditam autumavit. Nostri autem Theologi ea omnia gratiæ deputanda esse fatentur; quamquam spectatâ decentiâ oportuerit rationalem creaturam huiusmodi gratia fulciri. Sunt etiam articuli illi scandalosi, & hæretici relate ad propositionem 74. in qua Bajus in errorem Lutheranorum condemnatum à Tridentina Synodo miserrime prolapsus est, asserens concupiscentiam esse peccatum. Quare Norisius: *Longo intervallo, inquit, à damnato sensu distamus, non enim dicimus, Deum non potuisse condere hominem cum concupiscentia rebeli, quod illa sit formaliter peccatum, sed quia licet ipsa peccatum non sit, est tamen ad peccatum inclinans, & quidem vehementius, quam quilibet alius habitus vitiosus ab homine contractus.* Addit Scriptor clarissimus juxta amplam propositionum illarum expressionem, consequi posse Deum hominem condere cum originali peccato, cum quo modo nascimur, quod sane absque impietate affirmare non possumus.

Cardinalis Aguirre Tom. 3. Theologiae S. Anselmi Tract. v. disp. 106. sect. 4. ait responsum Norisii asserentis propositionem Baji LV. damnatam respectu prop. LV nullum fundamentum habere: subdit quam facillime explodi, cum certum sit Bajum, sicut & olim Pelagium nunquam putasse Deum non potuisse creare hominem cum concupiscentia rebeli, quæ sit *formaliter* peccatum, sicut exploratum ipsi erat non potuisse condere hominem in statu peccati. Solum ergo (inquit) negavit Bajus hominem potuisse condi à Deo cum concupiscentia rebeli, in qua modo nascimur, & quæ ad peccatum allicitat. Idem Aguirre scripserat supra sect. 2. cap. 16. quod Norisius ait articulum illum damnatum ob censuram, quam Bajus jaculatur adversus Theologos sentientes oppositum: &, quod caput est, Norisium tueri propositionem Bajanam, ut jacet, scribit Bruno Neusser in Pro-dromo Velitari p. 1. cap. 5.

Ve.

5. Norisii sententia ulterius discutitur.

Verum hæc retunderet Norisius nonster, eaque repeteret, quæ scripserat olim ad Germanitatem v. sub nomine Annibalis Ricci. Ubi adversus Parallelismam demonstrat se in Vindiciis diserte affirmavisse Propositionem Baji quinquagesimam quintam merito damnatam esse, non quod offendiculo pateret, quemadmodum lib. III. cap. 23. inquit Jansenius, neque ob illatam Pelagianæ hæreseos cæteris Theologis notam, tamen hæc nonnullis articulis Baji convenire bene sapienterque Norisius animadvertit; sed damnatam jure meritoque relate ad veccsimam septimam, in qua gratia sanctificans, humanæ naturæ exaltatio, & integritas prima appellatur à Bajo naturalis conditio, non beneficium Divinæ superadditum largitate. Unde vides & quo fundamento Norisius nitatur, & Adversariorum, saltem Brunonis Neusser, malam fidem. Quod vero addit Aguirre damnatum Bajum propterea quod negaret possibilem statum, in quo inesset homini concupiscentia rebellis; non soli Norisio Bajani erroris calumniam impingit, sed iis omnibus, qui licet statum puræ naturæ arbitrentur possibilem, concupiscentiam tamen rebellem ab illo statu removen- dam apertissime docent, propterea quod sit intrinsece mala: ut defendunt Petrus Aureolus, Gregorius de Arimino, Martinus de Esparza laudati in Vindiciis Norisiani, atque cordati Theologi plures, inter quos Nicolaus L'Herminier Tom. 4. pag. 56. præmittens ad hujus questionis solutionem, nullam fore in statu naturæ puræ rebellionem carnis adversus spiritum, sed excitandos duntaxat motus partis sensitivæ, non quales nos post Adæ lapsum titillant, sed qui præcisè ad naturam hominis pertinerent. At de Concupiscentia hac rebellis posthac iterum.

6. De possibilitate naturæ puræ ex S. August.

Ad evincendam præterea possibilitatem naturæ puræ producent Theologi celebre Augustinianum testimonium ex lib. I. Retractat. cap. 9. *Quamvis ignorantia & difficultas, etiamsi essent homini primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem tertio libro (id est de libero arbitrio cap. 20. & 21.) disputavimus.* Quæ verba repetit S. Pater de Dono Perseverantiæ cap. XI. Itaque Augustinus possibilem illum statum aperte declarat, in quo difficultas & concupiscentia, atque ignorantia essent naturæ primordia, non vitia, suppliciumque peccati.

Occurrunt adversæ partis Theologi, Augustinum revincere Manichæos ex

illorum hypothesi; nam adversus Manichæos illam disputationem tertii de libero arbitrio libri se habuisse testatur eodem loco Retractationum, nec non de dono Perseverantiæ. Erat autem supinus Manichæorum error, dari causam supremam cujusque mali effectricem: quod suadere conabantur ex rebeli concupiscentia, & ignorantia inditis rationali naturæ. Utamque malam esse, & vitium ad turpia propellens, Augustinus, & Manichæi simul fatebantur, cum hoc tamen discrimine, quod hi asseriebant malam esse substantiam, & Augustinus scdam discordiam ex pravaricatione primi hominis derivatam. Hæc ex lib. V. Operis Imperf. contra Julianum cap. 30. satis manifesta sunt. Cum ergo Augustinus ubique concupiscentiam malam esse profiteatur: quomodo disputandum illi erat adversus cum Pelagianos, qui ei objiciebant Manichæorum errores, quasi cum iis assereret carnis concupiscentiam esse substantiam diabolicam, tum contra Manichæos ipsos, quibuscum circa hujus vitii turpitudinem quodammodo sentiebat? Et Pelagianos quidem retundit, demonstrans locupletissimis Scripturarum testimoniis pertransiisse in omnes homines maculam originalem, cujus pœnæ sunt cæcitas mentis, carnisque lacertosa libido, quas non esse Dei opera, sed vitia peccato contracta argumentis supra productis evincit. Adversus autem Manichæos, qui & veteris Testamenti auctoritatem rejiciunt, novumque pro suo quodam privilegio, imo sacrilegio depravant, ac mutilant, quid consilii erat illorum debellatori Augustino ineundum? Eos undequaque vellicat, & exagitat. Necesse est, inquit, unam ex his hypothesibus admittamus, vel animam venire ex parentum propagine, vel singulis nascentibus novam dari, vel Divinitus in corpora mitti alicubi jam existentem, aut in ea suapte sponte dilabi. Porro in nulla harum hypotheson Deus foret auctor peccati. Et in prima quidem, tertia, atque ultima satis liquet: tunc enim ignorantia excæcans turpisque libido, aut vitiata propagatio, aut corpori, quod de pœna peccati, hoc est, de mortalitate primi hominis nascitur, aut libera voluntati, qua animus sese in hanc miseriam devolveret, esset attribuenda. Quod si infundatur corpori, cui naturalis esset utraque pœna, ignorantia & libido, & hæc talis esset proprietas naturæ, ut sine ea creari non posset homo constans animo, & corpore, quomodo visum

7. Theologorum quorundam opiniones.

visum est Manichæis; esset tamen laudandus Creator, & non culpandus, quoniam hæc naturalia primordia, sine quibus in hypothesi Manichæorum non potest homo produci, non ei pro crimine objicerentur, neque homini deesset gratiæ facultas, per quam posset hanc ignorantiam & difficultatem studiose reprimere, atque inde ad veritatem proficere. Hæc Augustinus in 111. de libero arbitrio cap. 20. 21. & 22. Ex quibus facile inferitur, hypothesim, quam disputandi causâ contra Manichæos S. Pater admittit, non esse hypothesim *puræ naturæ*, sed alteram, in qua cum ignorantia, & concupiscentia inhærente homini naturaliter, adesset & adiutorium eas reprimendi. Atque hæc est responsio nostrorum: nam quod regerunt Janseniani, in hac hypothesi Augustinum supponere originale peccatum, vel animam venire ex propagine, aut quæ scripserat de libero arbitrio postmodum retractasse, sunt inanes elusiones, & manifesta præmissarum hypotheseon confusio.

8.
Opinio
Francisci
Macedo,

Insistit Franciscus Macedo Collatione in 111. partem IV. sect. 3. & Tournellius de Grat. Christi pag. 38. Augustinum hypothesim status naturæ puræ evidentiter probare. Scribit enim in 111. de lib. arbitrio cap. 20. num. 56. *Si ergo anima altera esse cepit non solum ante peccatum, sed etiam ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde creatori suo gratias agat: quia ipse ortus ejus, & inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit, sed etiam, quod facultatem habet, ut adjuvante creatore se ipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur.* Datur ergo (inquit Macedo) concupiscentia, quæ non sit pœnalis, nec ad peccatum inclinet. Cui similia ait Tournely citato loco.

9.
Refelluntur
opiniones.

At falsa est hujusmodi consecutio. Hoc enim testimonio, quod invictissimum putant, constat Augustinum loqui de libidine cruciante, de ignorantia excæcante; de illa eadem ignorantia & libidine, quæ altera anima afficeretur post vitam culpabilem. Has vero si quis autumat non esse suapte natura vitiosas, legat paulo supra cap. 18. n. 52. ea verba Augustini: *Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalis, ignorantia & difficultas.* Ex

ignorantia debonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitatus, & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. In hypothesi autem, quod pœna non essent, sed naturalia primordia, adhuc laudandus esset Deus, quoniam homo facultatem haberet, ut adjuvante Creatore omnes virtutes acquireret, & ex ipsa naturali ignorantia, & difficultate auxilio gratiæ proficeret.

Reponunt Adversarii, Augustinum per ea verba adjuvante Creatore nullam gratiam ordinis supernaturalis intellexisse, cum statim addat: *Non enim parum est accepisse naturæ iudicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat.* Cæterum quis dixerit S. Patrem, qui passim adversus Pelagianos disputans repetit ex hac ignorantia cæcante, & difficultate cruciante necessitatem gratiæ effectricis, existimasse, posse absque ulla gratia supernaturali, solo naturali lumine has separari? Gratiæ itaque supernaturalis non meminit, quod non de Gratia contra Pelagianos, sed de natura mali contra Manichæos disceptaret. Quare hoc idem Augustino Pelagianis objicientibus, quod in libris de libero arbitrio concupiscentiam & ignorantiam naturæ inditas propugnasset, respondet de dono Persev. cap. XI. & XII. se illam disputationem habuisse contra Manichæos, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris Testamenti, in quibus peccatum originale narratur; cæterum revera ignorantiam, & difficultatem pertinere ad miseriam justæ damnationis, nec ab isto malo quemquam liberari, nisi Dei gratia. In eo ergo statu, in quo hæc eadem difficultas, hæc eadem ignorantia esset non supplicium peccati, sed conditio naturæ; quo pacto per solum rationis lumen possit homo proficere, & hoc lumen ad hanc ignorantiam & difficultatem vincendam, & ad coronam gloriæ valeret, quomodo Augustinus ab his Theologis explicatur; dum certa est, constans, & manifesta S. Patris doctrina, nec primum hominem nulla adversus se carnis pugna tentatum potuisse sine gratia in accepta iustitia perseverare? Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam causam, sicut debeo agere, parvulorum, & inde gratiam Dei non secundum merita hominum dari perspicua veritatis luce con-

10.
Instantia
cum solutio-
ne.

vin-

vincam; &c. inquit S. Pater de Dono Persev. cap. xii. num. 30.

11. *Confirmatio.* Et quidem non posse absque Dei gratia inferiorem partem rationi rebellem contineri, videtur esse manifesta doctrina etiam D. Thomæ: qui in Compendio Theologiæ cap. 186. hæc habet: *Non erat ex natura animæ, quod vires etiam sensibiles absque repugnantia rationi subicerentur: cum vires sensibiles naturaliter moveantur in ea, quæ sunt delectabilia secundum sensum, quæ multoties rectæ rationi repugnant. Erat igitur hoc ex ratione superiori, scilicet Deo, qui sicut animam rationalem corpori conjunxit, omnem proportionem corporis, & corporum virtutum, cujusmodi sunt vires sensibiles, transcendentes, ita dedit animæ rationali virtutem, ut supra conditionem corporis ipsum continere possit & vires sensibiles, secundum quod rationali animæ competebat. Ut igitur ratio inferiora sub se firmiter contineret; oportebat, quod ipsa firmiter sub Deo contineretur, à quo virtutem prædictam habebat supra conditionem naturæ. Fuit ergo homo sic institutus, ut nisi ratio ejus subduceretur à Deo, neque corpus ejus subduci poterat à natura animæ, neque vires sensibiles à rectitudine rationis. Quæ à Divo Thomæ sunt utique de institutione Adami pronuntiata, sed tenent adhuc pro statu naturæ puræ, in quo appetitus sensitivus naturaliter moveretur in delectabilia secundum sensum. Quapropter nisi regeretur homo supernaturali auxilio, continere inferiorem partem non posset, & in peccata indeclinabiliter prolaberetur. Atque hoc etiam argumento negant viri docti potuisse Deum condere hominem absque perfecta subjectione partium inferiorum, ut Erius, & alii.*

12. *Probationes alie ex S. Aug.* Plura alia ex Augustino depromi solent pro statu naturæ puræ, & in primis quod habet in iiii. de libero arbitrio cap. 23. num. 66. *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media inter recte factum, atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium.* Item quæ leguntur in Psalm. 70. num. 1. *Quis enim diceret, quid fecisti, si damnaret Justum.* Similiter loca per multa, ubi docet immortalitatem, & cætera dona Adamo collata magnam fuisse gratiam, ideoque sine iis potuisse hominem condi; ut docet xii. de Civit. Dei cap. ix. lib. xiii. Confess. cap. 3. de Corrept. & grat. cap. 11. de Genesi ad litteram lib. vi. cap. 20. contra Julianum lib. iv. cap. 16. & alibi quam frequentem.

13. *Responsio Authorum contrario-*

His vero qui contra sentiunt nullatenus percelluntur. Enimvero testimo-

R. P. Berti Theol. Tom. II.

nium primum pro statu puræ naturæ nullam vim habet; in quo creatura rationalis vel Deum auctorem naturæ diligeret, vel odio haberet, ac se dignam redderet supplicio, vel præmio, ut Doctores illi contendunt; ideoque non esset in eo statu, quem opinantur possibilem, media illa vita: de qua Augustinum hypothetice differuisse, dicemus & nos libro proximo de parvulorum pœnis questionem instituturi. Alterum vero petatum ex i. Enarrat. in Psalmum 70. liquet ex Mss. optimæ notæ esse corruptum, ut Patres Benedictini adnotarunt, & ibidem non *justum*, sed *injustum* esse legendum: quod iis confirmatur, quæ nos agentes de reprobatione ex Augustino protulimus. Ac præterea lectione priori recepta, posset quis respondere etiam justum aliquo sensu damnari, in quantum propter originale peccatum ei præparatum non est magnum donum finalis perseverantiæ, ut de Reprobatione, quam Scholæ appellant *negativam*, late disserui. Sed responsio prior corroboratur consimili sententia num. 15. ubi pro *injustum* invenitur scriptum *iniquos*. Ubique autem S. Pater Adæ integritatem fuisse donum gratiæ definit, non adversatur illis Theologis, qui gratiam rationalis creaturæ debitam propugnant, non spectata ejusdem creaturæ substantia, aut absoluta Dei potestate, sed inspecta duntaxat decentia quadam, sive, ut nonnullis placet, rectissima erga hominem factum ad imaginem Dei providentia.

Denique pugnant pro statu puræ naturæ ratiocinationibus Theologicis. Quæ prima est, quod omne donum ordinis supernaturalis nequit debitum esse naturæ, alioquin gratuito, & pro liberalitate ac beneplacito Conditoris minime foret collatum. At naturæ rationalis integritas, sublimatio in consortium divinitatis, inferiorum partium subjectio, & elevatio ad finem sublimiorem, cujusmodi est visio Dei, supernaturalia dona sunt, nemine Catholicorum contradicente; conferuntur ergo creaturæ rationali, non exigente justitia, sed beneficentissima Dei liberalitate donante. Sequitur altera huic affinis: nam creatura origine suâ serva Dei est, nec potest ad hereditatem Domini sui jus habere, nisi adoptetur in filiam, quod præstat ipsius Domini munificentia; & consequenter tam Adam, quam Angeli potuerunt, cum primum facti sunt, non adoptari in filios, & jure ad hereditatem privari. Denique si naturalis finis creaturæ sit visio Dei per essentiam, posset ad hanc naturalibus mediis pervenire; nam inter finem

14. *Probatur Theologice status puræ naturæ.*

Y y

& media necesse est, ut quædam inveniat-
tur proportio. Quod possit creatura ra-
tionalis naturali conatu, propriisque vi-
ribus usque ad Dei visionem pertingere,
nemo prorsus affirmat. Ergo non est vi-
sio Dei rationalis creaturæ finis, ad quem
naturaliter ipsa protendat: atque si ita
est, absque tendentia in hunc finem creari
potuit.

15.
Oppositio-
nes.

Habent & quæ his reponant alterius
partis Doctores. Docent gratiam Ada-
mo, & lapsis hominibus collatam in hoc
convenire, quod utraque est donum su-
pernaturale, & non proprietas naturæ,
neque comparata est meritis præceden-
tibus: differre tamen, quod si illa homi-
ni, vel Angelo defuisset, non utique sua
culpa cecidissent, quoniam non est talis
creaturæ constitutio, ut possit sine gratiæ
adjutorio vitare peccatum: nunc vero
quibus hæc gratia deest, pœna est origi-
nalis peccati, unde cui denegatur iusto ju-
dicio denegatur, cui autem confertur,
misericordia est Dei liberantis. Atque
his lubenter assentior, agnosco enim Au-
gustini Doctrinam in libro de Corrept.
& Gratia cap. xi. & in Epistola ad Six-
tum nunc 194. apertissimis verbis ex-
pressam. Ex his videntur sibi posse tuto
asserere, gratiam utique Redemptoris
nullo prorsus titulo debitam esse, imo in-
dignis Divinâ misericordiâ donari; sed
gratiam illam priorem, quam Condito-
ris appellant, etsi naturæ perfectiones
supergradientem nec meritis compara-
tam, aliquo tamen titulo debitam esse,
ne creatura fatali necessitate aver-
teretur à Deo, & inferiore parte rebel-
lante, quam frænare pro sua virili non
posset, in scelera ac damnationem sempiternam abriperetur. Quod ex hypothesi
Adversariorum confirmant: qui urgente
præcepto singulis sufficientem gratiam
adesse mordicus tenent, sine qua putant
non imputandam fore transgressionem in
crimen. Id tamen non esse inquit pla-
ne certum, cum ex peccato Adæ omne jus
ad gratiam homo perdiderit, & merito
Redemptoris auxilium illud sufficiens, &

aliud etiam validius sit restitutum; quo
etiam si Adam fuisset spoliatus, ad legem
tamen servandam fuisset obstrictus, quia
sponte sua fecisset Divinæ gratiæ jactu-
ram. Atque his argumentationem illam
priorem arbitrantur elidi. Jure eodem
alteram expungunt, asserentes in Adæ
posteris, qui adoptantur in Dei filiatio-
nem restitui meritis Redemptoris jus pro-
ximum ad hæreditatem cœlestem per gra-
tiam sanctificantem, qua in consortium
Divinæ naturæ justus assumitur, & jus
remotum, quo pollet rationalis creatura
eo ipso quod sit Dei imago, & nullo coin-
quinata peccato. Utrumque enim jus
propter prævaricationem Adæ perdidimus.
Ergo, inquit, gratiæ effectus est
jus proximum ad hæreditatem Dei, ad
quam pertinent soli filii promissionis: sed
jus remotum fundatur in ipsa substantia
animæ, quæ cum sit imago Dei, nequit
in creato aliquo bono quiescere. Nec re-
sponsionem hanc labefactare possunt
exempla humanitatis Christi, aut servo-
rum, qui à Dominis temporalibus ado-
ptantur, cum & illa potuisset suæ felicitatis
potiri etiam à Verbo non assumpta,
nec naturali instinctu appeteret hyposta-
ticam unionem: & servi tam uni, quam
alteri Domino possint ex æquo servitutem
præstare; creatura autem sit uni Deo sub-
jecta, atque sine illius hæreditate miserrima.
Negant denique fieri non posse, ut
naturalis instinctus feratur in bonum,
quod comparari non valeat nisi superna-
turali auxilio; cum infirmus expetat
quandoque sanitatem, quæ nequit ha-
berietiam adhibitis medicamentis, imo
illam per se, hæc autem ægre tantum, &
causa sanitatis exquirat: & anima affe-
ctet uniri corpori, cui non potest nisi Di-
vinitus iterum alligari. Non ergo sem-
per est inter media & finem proportio:
imo est hominis singularis perfectio, ut
naturaliter tendat ad finem, quem assequi
non potest nisi supernaturali adjutorio.
Hæc vero omnia perspicua sient, post-
quam Theologorum istorum fundamen-
ta explicavero.

CAPUT II.

Eorum, qui statum puræ naturæ impossibilem esse con-
tendunt, proponuntur momenta.

SUMMARIUM.

Num. 1. & per totum probatur, statum puræ naturæ implicare.

I.
Momenta
impossibili-
tatis puræ
naturæ.

AUDIENDI sunt modo Theologi,
qui statum puræ naturæ putant esse
impossibilem. Hi ita ratiocinan-
tur. Creatura rationalis condita est
ad Imaginem Dei, non solum ob gra-

tiarum munera, quibus in sui conditio-
ne fuit exornata, sed suapte natura, cum
sit rationis capax, ut possit illum per-
cipere, à quo facta est. Quare natu-
raliter Deum intueri desiderat, quem
esse

esse unicum & incommutabile bonum facile ex ipsis creaturis potest conficere. Esse in creatura rationali huiusmodi desiderium naturaliter inditum, fatentur Scoti discipuli. Eadem est, quidquid nonnulli in contrarium sentiant, S. Thomæ doctrina. Qui in III. contra Gentes cap. 50. pluribus argumentis demonstrat, naturale desiderium animæ tendere ad cognitionem Dei, prout est in se; quod & affirmat in I. 2. q. 3. art. 8. & I. p. q. 12. art. 1. in corpore. Neque loquitur D. Thomas supposita elevatione ad finem supernaturalem, sed urget ubique tritam ac pervulgatam rationem, quia *inest in homine naturale desiderium cognoscendi causam, cum inveniatur effectum*. Cum itaque mens creata naturali acumine percipiat supremæ causæ existentiam, inflammatur naturali desiderio videndi essentiam ipsius causæ, in qua visione sita est perfecta beatitudo. Unde Augustinus in I. lib. Confess. cap. 7. *Inquietum est (inquit) cor nostrum, donec requiescat in te*. Cum ergo, si creatura defraudetur desiderio suo, magnâ poenâ conficiatur, nec sub iusto Deo poena sine culpa possit infligi; atque in illo statu, de quo disputamus, non posset anima pertinere ad Dei visionem, nec Auctoris, cuius imago est, essentiam videre, angereetur maximo, gravissimoque dolore. Huc spectant omnia argumenta, quibus Pelagianis asserentibus parvulos nasci in eo statu, in quo Adam fuit ante lapsum, & sine ulla gratia, sine ullo vitio, & tamen sine baptismo à regno cœlorum excludi, objectat Augustinus sæpenumero, quod Deum facerent impium atque iniustum, qui innocentem imaginem suam à regno cœlorum expelleret. *Quæro qua causa innocens imago Dei vitæ privatione punietur, si nullum peccatum ex humana propagatione contrahitur?* Ait S. Pater lib. I. contra Julianum cap. 5. num. 19. At si status naturæ puræ daretur, homo creatus ad imaginem Dei nulla labe originali contracta excluderetur à regno; atque tot Augustini contra Pelagianos argumenta nihil profusus efficerent. Neque enim satisfacere videtur eorum responso, qui ajunt S. Patrem hac ratione Pelagianos impetere supposita elevatione hominis ad finem supernaturalem, ejusque constitutione in gratia. Primo enim argumentatione illa utitur magnus Doctor, non memorato loco duntaxat, sed etiam præcedenti cap. 4. num. 13. atque lib. V. cap. XI. num. 56. Operis Imperf. lib. II. n. 30. & lib. III. num. 9. necnon in I.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

de Peccatorum meritis cap. xxx. n. 58. aliisque in locis compluribus, nec ullibi hujus suppositionis minimum extat vestigium. Deinde si Pelagiani parvulos & sine gratia, & sine culpa nasci affirmabant; quomodo Doctor eximius, maxime disputans cum Juliano peracuto, ac versutissimo Dialectico, poterat supponere quod erat cardo & caput institutæ disputationis? Et denique si Augustiniana argumentatio petitur ex ipsa natura imaginis, quæ proculdubio inest creaturæ rationali quacunque hypothefi facta, consequens est illam nunquam sine culpa posse à regno cœlorum excludi. Istud ergo est præcipuum hujus sententiæ fundamentum: Impossibilis est ille status, in quo innocens imago Dei nullo prohibente impedimento peccati non posset ad regnum Dei pervenire, *quod sine magno malo fieri qui dicit, nec amorem habet, nec timorem Dei*, ait lib. V. contra Julianum cap. 17. S. Pater. In statu puræ naturæ Imago Dei, tametsi innocens, regno Dei privaretur. Ergo status puræ naturæ impossibilis est.

Diximus sub finem præcedentis capituli, & libro III. cap. I. quomodo in 2. horum sententia possit naturaliter clara visio Dei appeti, et si ad illam sine gratiæ adjumentis nullus perveniat: unde facile sese hi Theologi purgabant, si à contentioso aliquo, Baji, aut Quenellii damnatorum errorum insimulentur. In promptu eis erit exemplum animæ, quæ cum sit suapte natura forma corporis, ab hoc divulsa appetit resurrectionem, naturaliter non possibilem. Atque hanc certum est esse sententiam Scoti Quæst. I. Prolegom. num. 20. Quam Maffrius disput. 6. de Vis. Dei q. 2. explicat verbis Augustini scribentis de Prædest. SS. cap. V. *Possè habere fidem, sicut possè habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium*. Ita ergo, inquiunt Scotistæ, naturalis inclinatio est possè habere beatitudinem, habere autem donum est gratiæ. Hoc autem exemplum nescio an sit ad rem; nam aliud est possè habere beatitudinem, aliud appetere; sicut aliud est possè habere, aliud appetere fidem: nec ex Augustinianis verbis puto aliquem illaturum; quod possit aliquis fidem appetere naturaliter; atque ita nec infertur quod possit naturaliter appeti visio Dei. At Claudius Frassen in Scoto Academico Tract. I. disp. 3. art. 7. hanc naturalem inclinationem docet passivum esse, non autem activum, in qua sententia Augustini verba possunt in Scoti opinionem quadrare: sed

Yy 2

fed appetitum istiusmodi, qui nihil sit aliud, quam inclinatio *passiva*, & capacitas beatitudinis comparandæ per gratiam, nisi animus me fallit, nullus negat; & inquiritur tantum de appetitu, qui est quidam impetus & motus animi, & certe in sola potentia passiva nequit consistere. Hæc obiter de Sententia Scoti, quæ à suis absque ulla erroris nota defenditur.

3.
Quid Thomistæ sentiant.

Videamus modo quid præmissæ argumentationi soleat reponi. Vulgaris est Thomistarum opinio, appetitum innatum esse propensionem in bonum connaturale: unde inferunt hominem fide & gratia destitutum, qualis esset in *pura natura*, non appetere intuitivam visionem Dei, sed beatitudinem in communi; cum visio Dei non sit bonum homini connaturaliter debitum. Hunc appetitum præcedere ajunt cognitionem, nam qui ex cognitione procedit, elicitus appellatur. Est autem appetitus elicitus, aut efficax, aut inefficax: efficax, cum haberi possunt media, quibus finis acquiritur, & hæc media applicantur; inefficax, cum huiusmodi media vel in nostra potestate non sunt, vel iis uti nolumus. Atque huiusmodi appetitus inefficax tendit aliquando etiam in rem impossibilem, ut dum appetimus semper vivere, aut maximam acquirere copiam thesaurorum. Legite Gonetum disp. 1. de Visione Dei art. 5. & Salmanticenses Tract. 2. disput. 1. dub. 5. Respondebunt itaque in statu *naturæ puræ* creaturæ rationali, etsi foret imago Dei, & Dei existentiam naturaliter apprehenderet, non tamen magnam poenam futuram, si Divinam essentiam non conspiceret, quia eam non appeteret appetitu innato & connaturali, neque appetitu elicto efficaci, sed inefficaci tantummodo, qui fertur etiam in bonum quandoque indebitum, & impossibile. Sed hæret, ut dici solet, paulisper aqua. Enimvero qui statum *puræ naturæ* negant esse impossibilem, ad exordium redeunt argumenti. Instant, hominem esse Dei imaginem naturâ suâ, ideoque propensionem in Deum esse illi connaturalem: addunt appetitum elicitum inefficacem boni impossibilis, creati tamen & imperfecti, ut sunt semper vitam agere corporalem, amplissimâque opulentiâ locupletari, non admodum torquere animum, quoniam non sunt ista hominis finis ultimus, sed media, quæ possunt ex æquo diligere, & odio haberi, nec explere possunt immortalis substantiæ cupiditatem: negant quoque nonnulli, inclinationem illam innatam,

quæ omnem cognitionem præcedat, affirmantque omne pondus animi esse amorem, hunc vero partum esse intellectus; nam de beatitudine, cujus desiderium singulis hominibus insitum est, scribit Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 4. *Quomodo ergo amant eam, si nemo potest amare quod nescit? Et lib. VIII. c. 4. Quis diligit quod ignorat?*

Ego tamen prædictam Thomistarum doctrinam non refellam, imo & animadversionibus meis collustrabo. Docet S. P. Augustinus citato libro de Trinitate cap. 3. omnes homines naturali instinctu appetere beatitudinem: *Si dixisset, inquit, Ennius Poeta, omnes beati esse vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* Inquiritur sequenti cap. 4. unde existat de ipsa beatitudine tanta diversitas voluntatum, cum capeffenda atque retinenda beatitudinis voluntas una sit omnium, id est, cur aliquos maxime delectet voluptas ut Epicurum, alios virtus ut Zenonem, alios aliquid aliud, quod vel turpi vel honesta delectatione vellet adipisci. Respondet proximo cap. 6. id esse ob pravitatem generis humani, *quod interdum eligitur unde magis à beata vita receditur.* Infert ex his cap. 7. necessariam esse fidem, quæ nobis veram beatitudinem proponat, non enim, inquit, *quæcunque bona, maximeque illa quibus quisque fit bonus, & ille quibus fiet beatus, unde nisi à Deo in hominem veniant inveniri potest.* Vide & librum IV. contra Julianum cap. 3. num. 19. Itaque præcisa fide, quæ nobis visionem Dei pollicetur, non potest in hanc ferri hominis appetitus, qui naturali instinctu trahitur ad beatitudinem in communi, peculiariter vero inclinatur in hoc, vel illud bonum, quod voluntati à pravo, aut recto iudicio proponitur. Cum ergo Pelagiani faterentur nobis vitam æternam promitti, recte Augustinus ab exclusionem Imaginis Dei à vitæ æternæ probat in parvulis originale peccatum, supposita lege, & promissione beatitudinis, quam Pelagiani minime denegabant. Fertur ergo amor creaturæ rationalis in Dei visionem, huius revelatione supposita: & Augustinus cap. 1. Confessionum fidem aperte commemorat, & manifestius lib. XIII. cap. IX. ubi ait, quod desiderio accendimur, & sursum ferimur, inardescimus & imus, *quoniam jucundati sumus in his, quæ dicta sunt nobis, In domum Domini ibimus.* Hæc ad perdifficile argumentum. In quo nondum contrariæ opinionis Theologi penitus à causâ cadunt, quippe S. Pater citato cap. VII. de Trinitate,

tate,

tate, loquitur de statu naturæ lapsæ, & de vita mortali erroribus, ærumnisque plenissima, & in natura pura non esset vitiosa cupiditas, quæ sine gratia hominem ad amorem boni commutabilis traheret, & contentione acerrima à Deo averteret, sed esset Dei naturalis cognitio, & in Deum naturalis propensio.

5. *Oppugnatio cum solutio-
ne.* Ex iisdem principiis eruitur aliud fundamentum ad hypothese[m] naturæ puræ oppugnandam. Nam creatura in hac ipsa hypothese ad diligendum Deum teneretur; cum primum, maximumque præceptum legis naturæ sit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, Matth. xxii. 37. At si Deum diligeret, vitam æternam promereretur, quia & Deus diligit diligentes se, & diligentibus se mercedem hanc repromittit, & ipse qui amatur propter se præmium est ei, qui gratis & pro viribus amat. Debetur ergo creaturæ, Deum diligenti æterna vita, ad quam comparandam vires naturales non suppetunt. Cui argumento solvendo incumbit animus Theologorum: qui respondent in hypothese naturæ puræ posse quidem diligi Deum ut auctorem conditoremque naturæ, non ut largitorem supernaturalium bonorum, atque hujus dilectionis tantum fructum esse beatitudinis retributionem.

6. *Instantia.* Facile hæc dicuntur, sed nolunt Adversarii pedem referre. Contendunt non solam creaturam rebelli concupiscentiæ turbatam, sed nec integram posse sine gratia amare Deum ut auctorem naturæ. Nam Arauscanum Concilium Canone 25. hoc definit: *Prorsus Donum Dei est diligere Deum*. Et Tridentinum sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, & diligere, ut oportet, anathema sit*. Augustinus vero prope finem c. 3. libri quarti contra Julianum, *Amor, inquit, Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo Patre per Jesum Christum Dominum nostrum*. Quibus in locis agi de gratia supernaturali perspicuum est. Si dixeris exponenda hæc esse de Deo auctore supernaturali; ubinam, inquirunt, apud Augustinum, & memoratas Synodos, distinctio istiusmodi? Ubinam legimus posse hominem naturali facultate, & gratia non opitulante Deum diligere, tanquam summum bonum, summum verum, & universarum rerum supremum Dominum ac rectorem? Potius invenies apud Augustinum de Grat. &

lib. arbitrio cap. 18. *præcepta dilectionis nullo modo bene, nisi ex Deo adimpleri; legem sine gratia non posse conducere ad Dei amorem: gratiam nos facere dilectores*: ubi, cum adversus Pelagianos disputet, non possumus gratiam ordinis naturalis fingere, ut quidam venditant ex ludo & officina recentiorum Scholasticorum. Quod si opponas condemnationem tricesimæ quartæ, ac sextæ propositionis Michaelis Baji; poterunt respondere fuisse damnatam utramque ob censuræ acrimoniam, & quod Bajus amorem Dei naturalem negaverit etiam respectu objecti; nam ut Auctorem naturæ Deum diligi non posse nisi per gratiam, docent & Vasquesius, & Bellarminus, & alii Theologi probatissimi. Nec te moveat particula illa, *ut oportet*; quippe in hypothese puræ naturæ diligeretur Deus recte, atque *ut oportet*, dummodo creatura illum amaret propter se, & tanquam ultimum finem, & omnia in suum Auctorem referret: quod in Augustiniana Schola est amare, *ut oportet*; sicut non recte amatur, quod amatur aliqua intentione carnali, & cupiditate perversa.

7. *Solutio.* Huic argumento respondet Estius dist. xxvi. §. 38. homini in *puris naturalibus* non fore præscribendum operandi modum, qui naturæ facultatem excederet; nunc vero ad diligendum Deum ut Auctorem naturæ necessariam esse gratiam, quia per peccatum primi hominis adeo liberum arbitrium attenuatum est, ut nequeat sine gratiæ auxilio illum amare *ut oportet*, quemadmodum definitur canone ultimo Arauscano: & consequenter prædicta argumenta de homine in *puris naturalibus* constituto nihil concludere. Sis lector æquus æstimator.

8. *Ultima argumentatio.* Postrema argumentatio promittitur ex rebelli concupiscentia, quam esse per se malam præcedenti cap. 13. demonstratum est ex pugna, qua motibus carnis, tanquam quibusdam pugiunculis rationem aggreditur, ex immoderato excessu libidinis, atque ex ipso pudore, quo ejus causa suffundimur. Hujus concupiscentiæ Deus auctor non est: qui si condito homini tantum indidisset languorem, nec valde bona opera moliretur, nec vincerentur aperte Manichæi invehentes ejusdem concupiscentiæ præsidio sempiternum mali principium. Nec potior est ratio, cur Deus producere nequeat hominem cum pravo vitiorum habitu, ut cordati omnes fatentur; possit autem cum libidine omnium turpissimorum scelerum seminario

nario. In natura pura afforet, inquit, hæc perduellis concupiscentia, quod fatentur plures, & ratio ipsa suadet, quia inferior pars nequit ab animo contineri, nisi ipse superiori virtute regatur. Quis ergo, nisi forte velit Manichæis arma suppeditare, asserat Deum posse hominem in puris naturalibus constituere?

9.
Responsio
triplex.

Tria huic argumento reponunt: primum, quod concupiscentia malum est per accidens, non autem natura sua, ut enim à Deo est, importat solam propensionem in bonum sensibile; & inclinatio ad peccatum tantummodo ex hominis infirmitate, ob quam potest à bonis spiritualibus averti, quemadmodum potest deficere à gratia, nec tamen id vitium est, sed naturalis conditio. Alterum, quod concupiscentia malum est physicum, non morale, nisi enim ratio motibus ejus obsecundet, non ei deputatur in culpam. Tertium, quod hæc concupiscentia remanet in baptizatis, ut Synodus Tridentina definit, in quibus tamen nihil remanet damnationis; ideoque etiam in puris naturalibus posset adinveniri.

10.
Responsio 1.
oppugnatur.

Responsio prima oppugnatur, quod non distinguat inter appetitum sensitivum, & hujus appetitus languorem, in quo sita est ratio concupiscentiæ: atque hæc erat oscitantia Juliani, ut liquet ex lib. iv. cap. 14. num. 65. & lib. iv. Supplem. num. 29. utrumque callide permiscens. Appetitus quidem sensitivus non est per se malus, sed naturalis proprietas. Verum hujusmodi appetitus aut subiceretur rationi, aut anteverteret. Si anteverteret, en inferioris partis rebellio, en pugna, en vitium: *Malum est enim, ut inferiora superioribus reluctantur, id enim contra requiritur, & rectam rationem est*, inquit Bellarm. lib. vi. de Amis. Grat. cap. 14. Si vero subiceretur rationi, non esset id, quod appellatur concupiscentia. Præterea ut inferior pars subiciatur rationi requiritur gratia; quia ut non regitur inferior pars nisi ab anima quæ est supra virtutem corporis, ita ratio non continet corporeos motus nisi virtute aliqua, quæ sit supra naturam animæ. Vide quæ diximus cap. præcedenti ad Argumentationem secundam.

11.
Responsio 2.
evertitur.

Altera responsio facilius evertitur, quandoquidem cum Julianus similia reponeret, S. Pater lib. vi. contra ipsum Julianum cap. 19. num. 62. ait: *Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus con-*

tumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur. Ergo concupiscentia malum vitium est, & quidem morale cum ad voluptatem allicit, luctamque iniquam audeat ciere, etiam si ejus desideria non perficiat voluntas auxilio Dei confortata. Quapropter Apostolus in septimo ad Romanos v. 15. sentiens motum concupiscentiæ cui non consentiebat, imo sentire nolebat, *non enim* (inquit) *quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.* Imo videtur Augustinus malam appellare non solum concupiscentiam inclinantem ad malum, verum etiam indifferentem illam ad omnem sive licitam, sive illicitam voluptatem, quam passim recentiores deprædicant. Scribit enim citato lib. vi. cap. 16. n. 50. *Hæc ergo concupiscentia carnis nunquam concupiscitur hominis ullum bonum, si voluptas carnis non est hominis bonum. Si autem ut aliquo loco significasti, placeat tibi secta Dinomachi honestatem voluptatemque conjungens, quod Philosophi quoque hujus mundi, qui honestiores videbantur, Scyllæum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura belluinque compactum; si hoc ergo monstrum tua opinione sectaris, satis est nobis quod confitearis aliam esse illicitam, aliam licitam voluptatem. Ac per hoc mala est concupiscentia, quæ indifferenter utrumque appetit, nisi ab illicita voluptate licita voluptate frænetur.*

12.
Responsio 3.
confutatur.

Tertia responsio cito, nulloque labore confutatur. Quod enim Augustinus scribit eodem libro cap. 19. num. 60. solvi in renatis concupiscentiæ reatum, malum tamen remanere, & pœnam peccati, hoc ipsum declarat Synodus Tridentina sess. vi. in decreto de peccato Originali. Et ideo in baptizatis nihil remanet damnationis, quoniam propter concupiscentiam nemo damnatur, nisi præbeat motibus ejus assensum; imo & meretur, si condelectetur secundum interiorem hominem legi Dei, & malum, quod singulis adjacet, auxilio gratiæ refrænnet. Tantummodo Tridentini Patres damnaverunt hæreticos, qui asserunt concupiscentiam naturâ suâ esse vere & proprie peccatum, non languorem peccato contractum; ut constat ex Ruaro Tappero, qui Concilio interfuit, in discept. de baptizatorum concupiscentia Tom. 1. pag. 107. Bellarmino de Amis. grat. lib. 5. cap. 13. & Card. Pallavicino lib. septimo Hist. Concilii Trident. cap. 9. ubi refert Cardinalis Seripandi olim Generalis Ordinis nostri, & Præfeti ejusdem Concilii eruditam, gravissimamque disputationem. Itaque concupiscentia etiam

etiam in Renatis in se, & absolute mala est, non tamen proprie peccatum. Quod postremum cum affirmasset Bajus Propos. 71. illus quoque doctrina merito damnata est. Atque his Theologi, qui negant potuisse Deum condere hominem cum carnis concupiscentia, à se injustas omnes vexationes propulsant, ut fecit Norisius in Vindiciis cap. 3. & in Resp. ad 111. Germanitatem.

13.
Responsio
melior.

Melior est ergo responsio Guilelmi Estii, qui fatetur in puris naturalibus nullam fururam esse concupiscentiam, nisi forte ad nutum rationis, & quæ voluntatem

mentis nec præcederet, nec excederet, ut de Adam scribit Augustinus lib. iv. contra Julianum cap. 11. num. 57. non autem vehementem & infrunitam, qualem nunc experimur, & quæ originalis peccati poena est, firmissimumque argumentum. Ita nimirum opinantur haud vulgares Theologi Bancel tract. de nat. pura q. 1. art. 4. & L'Herminier in hac eadem quæstione ad objectionem ultimam. Poterunt hæc ab unoquoque suo Marte aut defendi, aut oppugnari: quod cave facias Constitutionibus Pontificum, & Augustiniana doctrina munitus.

C A P U T III.

Quale tenendum sit in hac dissertatione temperamentum.

S U M M A R I U M.

I. Afferitur temperamentum.

à num. 2. usque ad 5. Afferitur, originalem justitiam nequaquam fuisse primo homini debitam, licet oportuerit, ut creatus ad

ultimum finem, à quo divulsus in summam miseriam incidit, supernaturali D. auxiliorum fulcimento ornaretur.

I.
Quale tem-
peramen-
tum servan-
dum.

IN tam perplexa quæstione servandum arbitror perutile, Divinumque monitum Deuteron. v. 32. *Non declinabis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Itaque ab eorum placito, qui *pura natura* statum putant esse impossibilem non erit penitus recedendum. Pugnant enim pro hac sententia Theologi in Augustinum studiosissimi Norisius, Gavardi, Bellelli, Lafosse, Clenaerts, Pauwens, Rolliers, & Lovanienses Augustiniani reliqui omnes. Consentiunt nostratibus nonnulli Thomistæ doctissimi, inter quos Vincentius Contensonus tom. v. disp. 1. cap. 1. ubi plura argumenta producit iis, quæ superiori capite explanata sunt, parum dissimilia. Etiam Dominicus Soto, quem in D. Thomæ Schola clarissimum extitisse, neminem fugit, in iv. dist. 49. art. 1. quæst. 2. demonstrat esse Angelici Doctoris sententiam manifestissimam, inesse creaturæ rationali *appetitum innatum* ad visionem Dei sicuti est. Quod probat locis locupletissimis paulo supra citatis; in quorum explicatione ait Cajetanum *mentem D. Thomæ plane detorquere.* Et revera S. Thomas de appetitu naturali, & de perfecta beatitudine, cum 1. p. q. 52. art. 1. tum 1. 2. q. 3. art. 8. quæstionem instituit; nec opus est Commentatore ullo, aut Interprete. Ex appetitu autem innato videtur sequi assertionem nostrorum necessaria quadam illatione; cum nulla creatura expoliari debeat iis mediis, quibus naturalem finem assequatur. Idem sentire Magistrum Zumel 1. 2. q. 109. art. 2.

disp. 2. testatur Eminentissimus Aguirre. Ex alia parte cavendum est, ne gratiam aut debitam naturæ humanæ secundum se, aut naturalem conditionem, aut proprietatem esse, cum Michael Bajo impie ac temere sentiamus: quod sane hæreticum foret, sacrilegum, & nefastissimum.

Primum itaque asserimus, quod nullo titulo homini in prima conditione teneatur Deus impertiri charitatem habitalem, sive gratiam sanctificantem, & supernaturalium virtutum habitus: & consequenter integritatem & originalem justitiam hæc omnia complectentem primo homini debitam nequaquam fuisse, atque Deum posse creaturam rationalem condere absque talibus ornamentis. Quod manifestum puto ex damnatione articulorum Baji, de quibus supra capite primo hujus supplementi; & ex communi Doctorum Scholasticorum sensu: inter quos opinantur plures, quod habitualis gratia nec Adæ fuerit à principio collata; omnes vero liberalissimum Dei beneficium illam esse fatentur. De gratia autem actuali dico & hanc non fuisse Adæ debitam, quatenus neque promereri illam potuit operatione aliqua præcedenti, neque exigebat eam primus homo, ut in se absolute, & in genere *speciei suæ* præditus esset naturali qualibet perfectione, quoniam per solam nativam facultatem intelligendi & volendi perfecta redditur rationalis creaturæ substantia. Nihilo tamen minus considerata ut est imago Dei, & comparate ad ultimum finem, à quo divulsa inci-

2.
Proposito.

dit in summam miseriam, oportebat ut supernaturali Divinorum auxiliorum fulcramento ornaretur. Atque primam huius assertionis partem demonstrant argumenta capitis primi, alteram confirmant ea, quæ secundo capite prosequerbar.

3.
Probatur ex
S. Aug.

Tres in huius Thesii patrocinium advocabo summos, clarissimosque Doctores. Sit omnium primus S. P. Augustinus, qui lib. iv. contra Julianum cap. 3. num 15. ait. *Bonam dicis hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur: quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia rationalis creatura est, diceret: neque enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum lapidibus, aut lignis, pecoribusque præstatur, sed quia Imago Dei est, meretur hanc gratiam: non tamen, ut ejus bona voluntas possit procedere præter gratiam, ne vel ipsam prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia jam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita.* Quis non videt creaturam rationalem, quoniam *imago Dei* est, mereri aliquo pacto gratiam, etsi hæc nullis præcedentibus meritis retribui valeat? Scripserat supra lib. iii. cap. 11. n. 23. *In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum.*

4.
Probatur ex
D. Thoma.

Alter sit Doctor Angelicus, qui præter hæc dicta, de naturali appetitu beatitudinis, in 2. dist. 3. q. 1. art. 1. Oportuit, inquit, *naturam hominis taliter institui, ut non solum haberet illud, quod sibi ex principiis naturalibus debebatur, sed etiam aliquid ultra, per quod facile in finem perveniret: & quia ultimo fini amore inhaerere non poterat, nec ad ipsum tenendum pervenire nisi per supernam partem suam, quæ est mens & intellectus, seu ratio, in qua Imago Dei insignita est, ideo ut illa pars in Deum tenderet, subiecta sunt sibi vires inferiores.* Hæc sane verba Apolline divinator non indigent. Si legeris Sanctum Doctorem in iv. contra Gentes cap 52. videbis quam aperte, quam solide ex morte & rebellionem sensuum demonstrat originale peccatum, quoniam etsi videantur naturales defectus consequentes ex necessitate materiæ; tamen considerando Divinam providentiam, & dignitatem superioris partis humanæ naturæ, satis probabiliter probari potest, huiusmodi defe-

ctus esse penales, & sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo esse infectum. Supposita ergo Divina providentia, & superiore hominis parte, in qua Divina relucet imago, magna saltem probabilitate concluditur, non potuisse creaturam rationalem sine culpa subijci morti, cæterisque animi, corporisque miseriis. Eodem libro cap. 79. totus est in demonstranda futura corporum resurrectione, ex quo anima spiritualis quidem sit, sed natura sua forma corporis; ideoque ab eo separata sit in quodam statu violento, qui perpetuus esse non debet. Atque ex his Divi Thomæ principiis colligitur sensus verborum, quæ pro contraria sententia communiter proferuntur ex q. 4. de malo art. 1. ad 14. ubi ait, *carentiam Divinæ visionis dupliciter competere alicui: uno modo sic, quod non habeat in se, unde possit ad beatam visionem pervenire: & sic carentia Divinæ visionis competet ei, qui in solis naturalibus esset etiam sine peccato.* Sic enim carentia Divinæ visionis non est pena, sed defectus consequens omnem naturam creatam, quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad visionem Divinam, &c. In his enim Doctor Angelicus considerat rationalem creaturam absolute, & secundum se, non comparate ad dignitatem partis superioris, atque ad providentiam, quæ singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, & superiorem naturam inferiori conjunxit, ut ei dominaretur. Nam ex accurata huiusmodi consideratione & mortem, & concupiscentiam, & reliqua effecta peccati, probat in magno contra Gentiles Opere ratione habere supplicii.

Erit tertius Aegidius Romanus, qui in 2. dist. xxx. quæst. 1. art. 1. Cogimur dicere (inquit) fuisse quamdam oportunitatem, & quamdam necessitatem, & quoddam debitum, quod natura humana in sui institutione fuerit cum quodam dono supernaturali & gratuito: sed huiusmodi necessitas non potest esse absolute & simpliciter, quia tunc gratia non esset gratia. Quod hi tres docent, poterit quisque sartum tectumque tenere, vel hac nostra lucubrationcula ancillante, vel suppetentibus aliorum libris de hoc argumento egregie splendideque conscriptis.

5.
Probatur ex
Ægidio Romano.

Explicit Liber Duodecimus.

SE-